

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ascensio ab  
cum fonte primo

Nemo ascendit in celum  
nisi qui descendit de celo.  
Quisquis ergo in celum ascendere desiderat,  
ei qui de celo descendit et est in celo  
se uera fidei et dilectionis unitate coniungat.  
Aperte intelligens quod nullo alio ordine  
nisi per eum qui de celo descendit  
in celum ascendere possit.

Beda tractans illud Iohannis III.: Erat homo ex  
Phariseis et cetera.

Qui occisum a Judaeis Christum,  
caput videlicet meum suscitavit a mortuis,  
ac frustratis omnibus inimicorum insidiis  
sublevavit in coelum, spero,  
me etiam de praesentibus periculis eruens,  
meo capiti junget in regno, quia  
nemo ascendit in coelum,  
nisi qui descendit de coelo (Ioh. 3:13).  
Quisquis in coelum ascendere desiderat,  
ei qui de coelo descendit, et est in coelo,  
se vera fidei et dilectionis unitate conjungat.  
Aperte intelligens quia nullo alio ordine,  
nisi per eum qui descendit de coelo,  
potest ascendere in coelum.

Beda Venerabilis, *In Sancti Joannis evangelium expositio*, 3 (PL 92, col.670D-671A).